

eò pertinent, omnes in renum corpus absumuntur: cuius rei argumentū est, quod sanguine carent, nec intra se quicquam concrefcere ostendunt. Habent igitur, ut modo dixi, sinum exiguum, à quo meatus duo insignes ad uesicam deueniūt. Alij etiam ex aorta frequentes, ac ualidi eodem pertendunt. Ex medio autē renum singulorum uenæ singulæ, cauæ, neruosa dependunt, spinam prætereuntes ipsam angusto itinere: tum in utranq; abolentur coxam, ac denuò ibi porrectæ apparent, demumq; in uesicam descendunt. Hæc enim loco ultimo posita est, meatibus annexa illis porrectis à renibus ad ceruicem, urinarium producentem meatum, & ferè circumundiq; extenuatis in fibras membranulis proximis, quodammodo septo illi transuerso pectoris deligata. Est profectò uesica hominis proportione, quàm cæterorum, amplior.

De genitali membro, & testibus: quibus uel corporis partibus mas à foemina dissentiat.

Caput XIX



Genitale ceruici uesicæ adnectitur, foramine foras directo peruium: sed paulò inferius altero intra eandem semitam cõuio deductum. Quorum foraminum alterū ad testes, alterum ad uesicam, neruosum, cartilaginofumq; tendit. Testes ex eo maribus pendēt: de quibus postea partium communi examine, quemadmodum se habeāt, differemus. Hæc eodem modo uel in sexu foemineo omnia natura conformauit, atq; disposuit. Nulla enim parte interiore sexus inter se differunt, nisi utero: cuius forma qualis nam sit, ex confectionum descriptione petendū, expectandumq; est. Situs eius ad intestina infra aluum à parte priore: tum uesica iuncta supra uterū est. Sed de uteris quoq; pariter omnibus differendum postea est. Neque enim similes dati omnibus sunt, nec forma simili constituti, si uterus cæterorum quoq; animalium uulua dicenda est. Partes hominis, tum interiores, tum exteriores, has, talesq;, & ad hunc modum haberi perspectum est.

## ARISTOTELIS STAGIRITAE DE

HISTORIA ANIMALIUM LIBER SECVNDVS,  
INTERPRETE THEODORO.

Quæ animalia in quibusdam conueniant, in quibusdam autē differant. Caput I



AETIORVM animalium partes, aut cõmunes omnium sunt, ut superiore uolumine explicatum est: aut aliquorum generum propria. Eadem autē, diuersæ uel inter se sunt, eo modo quo superius dictum est: quippe cum omnia ferè animalia genere diuersa, partium quoq; suarū plurimas specie habeant diuersas: & aut proportione tantū easdem, genere autē diuersas: aut genere tantū easdem, specie autē diuersas. Sunt etiam complures, quæ alijs datae, alijs denegatae sunt. Ergo quadrupedes quæ animal generant, caput, collum, & omnes capitis partes sortiuntur: uerum ipsæ singulæ partes forma inter se differunt. Iam leoni ceruix osse uno rigida constat, nec uertebrae ullis iungitur. Interiora autē omnia canibus similia continentur. Habent quadrupedes, quæ animal generant, omnes uice brachiorum crura priora: sed præcipue, quæ multifida sunt, hæc manibus suo digitato pede respondent. hoc enim ad plura quasi manu utuntur. Partem etiam laeuam minus quam homo absolutam habēt, & agilem: excepto elephanto, qui digitos numero quinq; indiuisos, leuiterq; discretos, crura priora multo posterioribus longiora, & malleolos posterioribus imis cruribus possi

det. Habet præterea talem tantamq; narem, ut ea manus uice utatur: quippe qui non nisi ad os illam admouens, & bibat, & edat: suo etiam rectori eam erigit, atq; offert, & arbores quoq; eadem prosternit. & quoties immersus per aquam ingreditur, ea ipsa edita in sublime, reflat, atq; respirat. Ad uncuscula parte sui postrema, naris hæc est, sed flecti non potest: cartilaginea enim, & proinde rigidiuscula est. Solus etiã animalium homo ambidexter, hoc est, dexter manu utraq; nascitur. Pectus animalia omnia humano proportionatum pectori habere uisuntur, uerum non simile. latum enim pectus humanũ est, cætera angusta. Nullum est enim quod præter hominem mammas parte gerat priore. Elephãtus mammas duas quidem, sed non in pectore habet, sed paulò citra. Flectunt autẽ crura priora contrã, atq; posteriora: & e contrario quàm homo membra inflectunt, excepto elephanto. Quadrupes enim quæ animal generant, genua ante se flectunt, suffragines in auersum: aduersaq; inter se habent conuexa curuaturæ crurum suorum. Elephas, non ut alii qui retulerunt, agit: sed considendo crura inflectit. nequit tamen præ nimio pondere, utrunq; in latus æquilibrium quodam uergere: sed aut læuo incubat, aut dextro, atq; eo ipso habitu requiescit. Flectit hic certe suos posteriores poplites modo hominis. At ouiparis quadrupedibus, ut crocodilo, lacertæ, & reliquis generis eiusdem crura, tum priora, tum etiam posteriora retro flectuntur, paulum in latus uergentia. Nec secus in cæteris multipedibus agitur, nisi quod medijs pedes subinde ambigui amplius in latus flectuntur. Homo inflexum membrorũ suorum eodem e contrario agit: quippe qui brachia retrorsum flectat, quanquam ita, ut paulum uergat in latera exteriora, crura autẽ contrahat recte. Sed quod autẽ tam priora, quàm posteriora inflectat, nullum est. Omnibus uero humeri, armi ue contrã, quàm cubiti, aut crura priora flectuntur. Coxæ etiam contrã quàm suffragines. Cum itaq; homo contrã, quàm magna pars cæterorum animalium flectat, sit, ut si qua alia membris huiuscemodi constant, ea quoq; e contrario flectant. Aues etiam suos inflexus similes quadrupedibus agunt: crura enim quæ bina habent, in posteriora curuant. alas, quas uice brachiorum, aut crurum priorum obtinent, in priora. Vitulus marinus tanquam læsa, imperfectaq; quadrupes est: quippe qui continuo à scapulis pedes habeat manibus similes modo ursæ. In quinos enim finduntur digitos, qui singulis ternis articulis flectantur, & unguibus muniantur non magnis. Pedes quoq; posteriores quinis discretos digitis habet, & curuatura & unguibus cum primis conuenientes, uerum forma proximos piscium caudis. Motus animalium quadrupedum, ac multipedum, per diametrum agitur: quo modo subsistere etiã solent. Initium autem incedendi omnibus à dextris partibus. Gradiuntur pedatim leones: & genus camelorũ utrunq; bactrianũ dico, atq; arabium, pedatim incedit, cum pes sinister non transit dextrum, sed subsequitur. Partes, quas homo habet priores, quadrupes infra habent supinas. Quas autẽ ille posteriores, hæc pronas. Magna item quadrupedum pars caudã habet: nam uitulo quoq; marino cauda inest, quamuis exigua, cerui modo. De genere simiarũ postea dicemus. Omnia ferè quadrupeda, eademq; uiuipara, sunt pilosa: nec hominis modo læuia esse nouimus. Homo certe paucissimis, exiguisq; integit pilis, nisi in capite, qua quidẽ parte hirtissimus omnium ipse est. Cæteris quæ pilis uestiunt, partes prone pilosiores sunt, supinæ aut glabræ omnino, aut minus pilosæ habentur. At homo contrã. Cilium etiã homini utraq; in palpebra, & alæ oppletæ pilis & pubes: quod cæteris abest. Carent enim cilio palpebræ inferioris, sed paulò inferius pili rari nonnullis exeunt. Ipsorũ autẽ quadrupedũ pilis insectorũ, alijs corpus totũ est hirtũ, ut sui, ursæ, cani. Alijs collũ hirtius pari undiq; modo, ut leoni, & reliquis iurbatis. Alijs prona tantũ ceruicis, à capite ad summos artus uilli geruntur, ut equo, ut mulo, & reliquis capronatis, quo in genere bonasus, quoq;

quoque syluestribus cornigeris enumerandus est. Quinetiam hippelaphus satis iuba summis continet armis, qui a forma equi, & cerui, quam habet composita, nomen accepit, quasi equiceruus dici meruisset. Necnon fera, quae & ipsa ab equo Hippardium nominata est, capronas parte gerit eadem. Sed utrunque id genus tenuissimo iuba ordine a capite ad summos armos crinescit. Proprium equiceruo uillus, qui eius gutturi modo barbæ depedit. Gerit cornua utrunque, excepta foemina equiceruini generis: & pedes habet bisulcos. Magnitudo equicerui non dissidet a ceruo. Gignitur apud Arachotas: ubi etiam boues syluestres sunt, qui differant ab urbanis, quantum inter suos urbanos, & syluestres interest. Sunt colore atro, corpore robusto, ritu leuiter adunco, cornua gerunt resupinatiora. Equiceruo cornua sunt caprae proxima. Elephatus in quadrupedum genere hirtus minime est. Caudae etiam animalium pili corporis modum imitantur, dummodo cauda nota aliqua auctiore dependeat: est enim nonnullis tam exigua, ut uix dignosci a sensu possit. Camelus proprium inter ceteras quadrupedes habet in dorso, quod tuber appellant: sed ita, ut Bactrianae ab Arabijs differant. Alteris enim bina, alteris singula tubera habentur. Sunt etiam omnibus singula parte ima, quale in dorso tubera, quibus incubat reliquum corpus, & firmetur, quoties in genua inclinatur. Papillas quatuor modo uacca habet camelus, caudam asino similem, genitale retro. Genua singula in singulis cruribus sunt, & flexus artuum, non ut quidam perhibent plures: sed propter alui interuallum plures esse uidentur. Habet etiam talum similem bubulo: clunes proportione magnitudinis paruos. Bisulcum id animal est, nec utrunque dentatum. Sed bisulcum sic est, ut pes parte superiore scissus paululum sit ad flexum digiti secundum: parte autem priore summa, quadripartito findatur discrimine paruo, quantum primotenus digiti inflexu, & quiddam inter fissuras, perinde ut in anserum pedibus adiectum contextat. Pes uestigio est carnosus, ut ursae: qua de causa eas quae per exercitum longiore itinere fatiscunt, calceant carbatinis. Omnium quadrupedum crura osse neruoque abundant, carne deficiunt. Quinetiam nullum, quod pedibus constet, excepto homine, pedes habere carnosos perspectum est. Coxarum etiam carne exuberante, in clunes uacant, quod in genere auium conspicuius potest. At homo contra: quippe qui nullam ferè sui corporis partem tam carnosam habeat, quam nates, femora, tibias. Quas enim suras uocamus, non nisi carnis copia, parte tibiae posteriore complentur. Quadrupedum autem quae sanguine constent, eademque animal generant, aliae multifidae sunt, quales hominis manus, pedesque habentur. Sunt enim quae multiplici pedum fissura digitentur, ut canis, leo, panthera. aliae bisulcae sunt, quae forcipem pro ungula habeant, ut oues, caprae, cerui, equi fluuiatiles, aliae infisso sunt pede, ut quae solipedes nominantur, ut equus, mulus. Genus sane suillum ambiguum est. Nam & in terra Illyriorum, & in Paonia, & nonnullis alijs locis suos solipedes gignuntur. Bisulca igitur binis fissuris utrunque, id est a parte priore, posterioreque diducuntur. Solipeda eam partem continentem ex toto habent. Sunt item animantium, alia cornigera, alia mutila. Quae cornua gerunt, bisulca magna ex parte per naturam sunt, ut bos, ceruus, capra. Quod autem idem & solipes, & bicornis sit, nullum est, quod nos adhuc norimus. At solipes, idemque unicornis est, quantum rarum, ut asinus Indicus. Ille enim & unicornis, & solipes est. Unicornis uero, idemque bisulcus oryx est. Talum etiam asinus ille Indicus solus in solipedum genere possidet. Sus enim, ut modo dixi, ambiguus est: quo fit etiam, ut talo careat probiore. Per multa ex bisulcorum numero talum habent. At uero multifidum nullum adhuc talum eiusmodi habere cognitum est, ut ne hominem quidem habere certum est. Sed lynci semitalo simile quiddam: leoni autem tortuosum in anfractum est, quale effingunt. Omnia uero quibus datus est talus, cruribus eum posterioribus continet, ita ut erectus in suffragine parte sui prona foras, supina introrsum spectet, & quae ueneres uocamus

cantur, intus aduersæ sibi positæ sint: quæ canes, foris: quæ antennæ, supra habeantur. Situs talorum omnium talis est. Sunt nonnulla, quæ simul bifurca sint, & iubam habeant, & cornua bina, orbem inflexu mutuo colligentia gerant, ut bonafus, qui in Pæonia terra, & Medica gignitur. Que autem cornuta sunt, eadem omnino quadrupeda esse certum est, nisi quid per translationem cornu habere dicatur: quemadmodum Aegyptij de colubris Thebanis perhibent, quasi aliquid illis ueluti uestigium cornus extuberet. Ceruo ex cornigeris uni cornua tota solida, cæteris caua quodam tenus, & mucrone demum cõcreta sunt. Pars caua ex cute potius oritur, quam solidum quiddam osse enascens subit, impletque totam: quomodo cornua bouum constare uidemus. Soli etiam ceruo cornua omnibus annis decidua, initio à bimatu: cæteris perpetua, nisi per uim aliquam amittant. Mammæ item haberi uarie certum est. Nam & inter se ipsæ quadrupedes, & ab homine mammarum differunt ratione. Membrorum etiam quæ ad uenerem coitum accommodata habentur, discrimen planè est. Patet ratio uaria mammarum: cum alijs mammæ parte priore, hoc est, in pectore, aut iuxta pectus sint binæ, binisque papillis, ut homini, ut elephanto sub armis duæ, tam maris, quam foeminae perquam exiguæ, nec pro corporis uastitate, ita ut eas à latere conspiciere propemodum nequeas. Ursæ mammæ habent quaternas. Alijs mammæ inter foemina binæ, papillæque binæ, ut ouibus. Alijs papillæ quaternæ, ut uaccis. Quibusdam nec in pectore, nec in feminibus mammæ, sed in uentre habentur, & quidem plures, uerum non omnes pares, ut canibus, ut suis. Cum itaque cætera id genus habeant plures, panthæra quaternas uentre medio gerit. Camelus quoque in uentre mammæ duas cum papillis quatuor habet, ut bos. Leæna etiam duas in uentre. Maribus solipedis generis nullæ sunt mammæ, nisi ijs, qui matri similes prodierunt: quod in equorum genere euenit. Genitale marium alijs foris est, ut homini, equo, & alijs multis: alijs intus, ut delphino. Quibus foris est, ijs aut ante habentur, ut homini, & reliquis quæ modo dixi, aut retro. Quinetiam ijs, quæ ante gerunt, aut & penis, & testes absoluti pendent, ut homini: aut alio adherent, & aut plus, aut minus absoluuntur. Non enim pariter apro, & equo membrum hoc absolutum est. Elephante etiam genitale equo simile habet, sed paruum: nec pro corporis magnitudine. Testes idem non foris conspicuos, sed intus circa renes conditos habet: quocirca initum celerius agit. Alijs itaque testes absoluti, ut equo: alijs non absoluti, ut apro. Sus foemina, genitale ea continet parte, qua pecoris ubera habentur: & cum per libidinem turget, ac prurit ad coitum, sursum tantisper hoc retrahit, uertitque foras, ut inde mari coitus sit facilius. rescissum id longe productius, & dehiscens amplius est. Genitale maxima animalium parte ita se habet. Nonnulla ex auerso mingunt, ut lynx, leo, camelus, lepus. Mares igitur ita inter se discrepant, ut expositum est. Foeminae omnes ex auerso mingunt: quippe cum etiam foemina elephantorum genitale, ut cætera, inter femora habeat. Genitalis uero ipsius differentia numerosa est. Alijs enim cartilaginosa, carnosaque est, ut homini: quod ut parte carnosâ inflari nequit, sic cartilaginosa intumescit, excrescitque. Alijs neruosa, ut camelo, ut ceruo. Alijs ossea, ut lupo, uulpi, mustelæ, icitidi, id est mustelæ rusticæ, quam uiuerram interpretor: nam is quoque osseum gerit. Ad hæc, homo cum ad iusta incrementa peruenit, partem superiorem habet minorem quam inferiorem, contra, atque cætera animalia, quæ sanguine consistunt. Partem superiorem intelligi uolo, quantum de capite ad eam pertendit partem, qua exitus patet excrementis. Inferiorem autem, quantum ab ea ipsa subsequitur reliquum corporis. Animalibus ergo, quæ pedibus inniti natura uoluit, crura posteriora partem complent inferiorem. Quæ autem pedibus carent, ijs cauda, & quicquid uice caudæ, simileque habetur, pro parte inferiore est. Tales perfectis iam incrementis animantes euadunt. Discrimen

men  
 corpo  
 cont  
 do e  
 du  
 por  
 super  
 null  
 porre  
 10 homi  
 quæ  
 dine c  
 prim  
 corn  
 tos, ue  
 contin  
 tium n  
 & cor  
 habea  
 20 habet  
 pisci  
 duplic  
 (si Cte  
 tes trip  
 minis, c  
 spicula  
 per  
 cipue c  
 malibu  
 30 animal



uerustio  
 didi, & a



In cæteris  
 sunt. Qu

men autē in crescēdo est. Homo enim prius quā adultior sit, partem superiorem corporis habet maiorē, quā inferiorem: & quo per ætatem amplius augetur, eo contrā uenit, ut inferiora sint superioribus longiora. Quamobrē unus ipse non modo eodem ingredi solet, infirma adhuc ætate, quo iam firma ingreditur: sed primum dum infans est, quadrupes reptat, deinde se erigit, bipesq; incedit. Sunt quæ ex portione incremēta partis utriusq; capere soleāt, ut canis. Nonnulla primum parte superiore minora sunt, pōst maiora cum creuerint, eadē parte euadunt: ut iumēta. nullū enim ex ijs addita ætate auctius redditur ea parte, quæ ab ungula ad clunem porrecta est. Dentes etiā cæterorū animalū multiplici differentia, tum inter se, tum  
 10 hominis ratione euariant. Habēt enim dentes omnia, quæ quadrupeda, sanguinea, quæ uiuipara sunt, sed uarie. Sunt enim alia utrinq; dentata, alia altero dentium ordine carent. Quæ enim cornua gerunt, hæc non dentata utrinq; sunt: quippe quæ primoribus maxillæ superioris careāt dentibus. Quamquam sunt nonnulla, quæ & cornibus uacent, & utrinq; dentata nō sint, ut cameli. Item alia dentes habent exertos, uelut aper: alia sine ijs sunt. Et alijs dentes ferrati, ut leonī, pantheræ, cani. Alijs continui, ut equo, ut boui. Sunt enim dentibus ferratis, quorū series acutorum dentium mutua insertione pectinatim se cōstipat. Quod autē simul & dentē exertum, & cornu habeat, nullū est: nec uero quod simul & ferratis dentibus sit, & alterutrum habeat illorum, hoc est uel cornu, uel dentem exertum. Primores maxima ex parte  
 20 habent acutos, interiores planos. Vitulus marinus ferratis omnibus est, ut generi piscium affinis: piscibus enim ferē omnibus ferrati sunt dentes. Genus autē, quod duplicem dentium ordinem habeat, nullum nostro in orbe est: uerum apud Indos (si Ctesia credendū est) bellua gignitur (ut ille scribit) cui nomen mantichoræ, dentes triplici utrinq; ordine, magnitudo, hirtitudo, & pedes leonis, facies & aures hominis, oculi cæsi, color rubricæ, cauda scorpionis modo terrestris aculeo armata, spiculaq; agnata iaculans, uox fistulæ, tubæ uel non absimilis, cursus non minoris pernicitatis quā ceruis, feritas tanta, ut nunquam possit mitescere, appetitus præcipue carnis humanæ. Mutantur dentes, tum hominī, tum etiā quibusdam alijs animalibus, ut equo, mulo, asino. Homini primores mutantur. Maxillares autē nullum  
 30 animal mutat. Sus, nullum omnino dentem amittit.

*An canes mutent dentes, quo uel modo uetustiores à recentioribus dignoscantur.*

Caput II



**D**E canibus diuersa sentētia est, quippe cum alij nullum ijs decidere dentem opinētur, alij caninos tantū appellatos mutare uelint, quos etiam homo amittit: uerum hoc latēre, propterea quia nō ante mutāt, quā pares intus enascantur. Quod idem uel in cæteris scilicet feris euenire uerisimile est. Et quidem caninos tantum mutare perhibentur. Aetas uetustiorum, recētorumq; canum dentibus iudicatur. Iuuenibus enim dentes candidi, & acuti: ætate prouectis, nigri, obtusiq;.

*Dentes equorum in senectute candidiores fieri, pluresq; mares, quā foeminas habere dentes.*

Caput III



**A**gitur certe in equis cōtrā, atq; in cæteris animalibus: cum enim cæteris senectute dentes nigrescant, equo candidiores redduntur. Planos ab acutis determināt, qui canini appellātur, formæ utrorumq; participes: quippe qui infra latiusculi, supra acutiusculi sint. Maribus dentes plures q; foeminis, ut in genere hominū, ouīū, suum, caprarū patent. In cæteris nondum exploratum est. Quibus plures, hæc uiuaciora magna ex parte sunt. Quibus pauciores & rariores, hæc magna ex parte uitæ sunt breuioris.

*Hominihus circiter uicesimum annum genuinos dentes gigni.*

Caput IIII



Omini nouissimi maxillares, quos genuinos uocamus, circiter uicesimum annum gignuntur, & uiris & mulieribus. Iam uero quibusdam mulieribus anno etiam octogesimo maxillares illi nouissimi non sine dolore exierunt. Uiris quoque idem euenisse accepimus: quod certe ijs accidit, quibus in iuuentute ipsi genuini nati non fuerint.

*Elephantes mares à foeminis distare in ordine dentium.*

Caput V



Elephanto dentes utrinque quatuor, quibus conficit cibum, atque in farinae speciem molit. Duo praeterea prominent grandes, quos mares grandiores, resimatosque habent: foeminae minores, & contra quam mares: uergunt enim deorsum, pronique deuiant. Statim cum natus est elephante, dentes habet: quanquam grandes illos, non illico perspicuos obtinet.

*Exiguam esse elephantis linguam.*

Caput VI

Linguam perquam exiguam habet, atque interius positam, quam in caeteris sit, ita ut uix eam uidere possis.

*Quae animalia in oris magnitudine discrepent, ibique de equo fluuiatili aegyptio.*

Caput VII



Ris etiam magnitudine discrimen existere animalibus planum est: alijs enim os rescissum, ut cani, leoni, denique omnibus quibus dentes serrati. Alijs paruum, ut homini. Alijs mediocre, ut generi suum, equo fluuiatili, quem gignit Aegyptus: iuba equi, ungula qualis bubus, rostrum resimum. Talus etiam inest bifulcorum modo, dentes exerti, sed leuiter, cauda apri. Vox equi, magnitudo asini, tergoris crassitudo tanta, ut ex eo uenabula faciant: interiora omnia, equi & asini similia.

*De genere simiarum, quod partim hominem, partim quadrupedes imitatur.*

Caput VIII



Vnt quae natura ancipite, partim hominem, partim quadrupedem imitentur, uelut simia, caebi, canicipites. Sic enim cynocephalos appello. Caebus, simia gerens caudam est. Caniceps etiam eadem forma, qua simia est, sed maior, ualidiorque, & facie caninae similior, unde & nomen accepit: ad haec moribus ferocioribus est, & deinde robustiore, caninoque propiore. Simia tam parte sui corporis prona pilosa est, utpote quadrupes, quam supina, ut speciem gerens hominis, qui contra, atque quadrupedes, obtinet pilum, ut dictum iam est. Sed crassiore pilo simiae uestiuntur, longeque hirtiores parte utraque sunt. Conueniunt cum homine plurimum sua facie, quippe quae nares, aures, dentes, tam primores, quam maxillares hominis more habeant. Cilium etiam cum caetera quadrupedes non in utraque palpebra habeant, simiae habent, quanquam praetenu ac prolixius, potissimum in inferiore. Caetera enim quadrupedes inferioribus carent cilijs. Habent simiae in pectore binas mammaram papillas, & brachia hominis modo, sed hirtiuscula, quae & ipsa, & pedes ut homo inflectunt, hoc est, ita ut circumferentiae membrorum utrorumque obuersae inter se adducantur. Ad haec manus, digitos, ungues homini similes, uerum omnia rudiora, efferacioraque. Pedes sui generis habent: sunt enim uelut manus maiuscula, & digitis ut manus constant medio longiore. Vestigium etiam manui simile est, nisi quod in longum se porrigat, & uolam referens tendat ad postrema. Callosius hoc altera sui parte extrema est, & calcem inepte, atque exiliter imitatur. Pedum officium duplex est: ijs enim & ut pedibus, & ut

& ut manibus utuntur, inflectuntq; eosdē perinde, ac manus. Lacertos & femora habent breuia proportione cubitorum & ubiarum. Umbilicum qui emineat, nullum habent: sed durum quiddam continetur loco umbilici. Partem corporis superiorem multo maiorem habent, quā inferiorem, uidelicet more quadrupedum: quinarij enim ferē ad ternarium ratione constant. Degenerant ergo, tum ea de causa, tum etiam quod pedes manibus habeant similes, & quasi ex manu, pedesq; constitutos. Calcis enim postremum ad pedem, reliquæ autem particulae ad manum facile referunt: digiti namq; uolæ speciem gerunt. Degunt plus temporis pronæ quadrupedū more, quā erectæ. Carent natibus, utpote quadrupedes. Priuatę cauda sunt, utpote bipedes. Exigua enim omnino cauda inest, quatenus nota solum habetur. Genitale etiam fœminæ mulieris est: mari potius canis, quā hominis.

De cæbis.

Caput IX

**C**æbi ( ut superius dixi ) omnes caudam habent. Partes uero interiores humanis similes, genera hæc omnia continent. Partes animalium uiuiparorum exteriores ita se habent.

*Viui para quadrupeda quibus cum cæteris quadrupedibus conueniant, & dissentiant. Cap. X*

**Q**uadrupedes quæ oua pariunt, eademq; sanguinem habent ( Terrestre autem ac sanguinis particeps nullum oua ædit, quin idem aut quadrupes sit, aut pedibus careat omnino ) omnes caput, collū, dorsum, pronam atq; supinam corporis possident: pedes etiam priores, posterioresq; & quod pectori proportionetur, modo uiuipari quadrupedum generis. Caudam quoq; habent longiorem, exceptis paucis. Sed hæc omnia pedes in plures digitos habent discretos. Ad hæc, omnibus his sensus totidem, quot cæteris quadrupedibus sunt: & lingua omnibus data est, excepto, quem Aegyptus fert, crocodilo: nam ille similis quibusdam piscibus est. Cum enim pisces omnino spineam, nec absolutam continent linguam, tum uel maxime nonnulli adeo læuem indiscretumq; eum ipsum linguæ tributum locum sortiuntur, ut nisi admodum labrum diduxeris, ne uestigium quidem linguæ inspicere queas. Auriculis tamen hæc omnia carent, meatusq; tantum habent audiendi. Carent etiam mammis. Nec genitale, aut testes foris obtinent manifestos, sed intus conditos. Nec pilo, sed cortice omnia tecta sunt. Dentibus etiam ferratis sunt omnia. Crocodilo fluuiatili oculi sunt suis, dentes magni, exertiq; ungues robusti, cutis corticosa, contra omnē ictum inuicta, uisus in aqua hebes, extra acerrimus. Dies itaq; in terra parte maxima agit, noctes in aqua teporis ratione: tepidiorem enim aquam experitur, quā aërem.

*De chamæleone, & eius cum cæteris similitudine.*

Caput XI

**C**hamæleo figura totius corporis lacertam planè repræsentat. Latera deorsum ducta uentri iunguntur, ut piscibus: & spina modo piscium eminet: rostrum simiæ porcaris similitimum, cauda prælonga, in tenue desinens, & longis implicata in se orbibus lori modo permultis. Elatior à terra est, quā lacerta: inflexus crurum perinde, ut lacertæ. Pedes singuli bipartito secantur, partesq; talem inter se habent situm, qualem pollex ad manus reliquam partem obiectum. Sed ipsæ etiam reliquæ partes paulotenus in digitos quosdam finduntur: uidelicet primores, triplici fissura interius, duplici exterius: posteriores interius duplici, exterius triplici. Unguiculi adunci. Corpus asperū totum, ut crocodilo. Oculi in recessu cauo intus recepti, prægrandes, rotundi, cute simili, atq; reliquum corpus obducti, media sui parte perquam exigua detecti, qua tudeant. Quæ quidem uidendi sedes nuncq; cute operitur, nec pupillæ motu: sed totius oculi uersatione in orbem mutationemq; quoquouersus aspicit, quæ uelit. Mu

C

tat suum colorē inflatus. Verum & niger nō longe dissimilis crocodilo est, & pallidus, ut lacertæ, maculis distinctus, ut pardus, nigris. Mutatur color toto in corpore, nam & oculi concolores reliquo corpori redduntur, & cauda eundem colorem accipit. Motus ei piger admodū, ut testudinis est: pallescit cum moritur, defunctusq; colorem eundem seruat. Gulam atq; arteriam situ eodem continet, quo lacerta: carnem nusquā nisi in capite & maxillis, & postremo caudæ admodum exiguam possidet: nec alibi sanguinem quā in corde, & oculis, & loco à corde superiore, & uenulis hinc tendentibus. Verum nec in ijs quidem ulla copia, sed pauxillum habetur sanguinis. Cerebrum paulò superius oculis positum est, & propè ijs contiguū. Cute autem exteriori detracta oculis, quiddam lucens ueluti anulus aeneus tenuis, nulla pelle interceptus cingit. Membranae in omnis serè corporis partes multæ, ac ualidae, longeq; firmiores quā in cæteris, tendunt. Diffectus hic totus spirare præterea diu potest, motu admodū exiguo adhuc circa cordis sedem extante. Et cum omnes corporis partes cōtrahit, tum uel maxime costas cogere, atq; adducere potest. Lienem conspicuum nusquam continet. Subit cauernas, & latitat more lacertarū.

*De auium natura, & quibus cum cæteris terræ animantibus conueniant.*

Caput XII



**I**N auibus etiam partes nonnullæ similiter, atq; in ijs, quæ exposui, animalibus habentur. Omnibus enim caput inest, & collum, & dorsum, & supina pars corporis, & quod pectori proportionetur. Crura etiam bina hominis modo, sed quæ in auersum flectantur, eodem ritu, quo quadrupedes faciunt, ut dictum iam est. Carent manibus, pedibusq; prioribus. Peculiare inter cætera animalia alas possident, & clunem femori similem longiorē, uentremq; medio tenus porrectū, cohaesione perpetua, ita ut ipsum diuisum femur esse uideatur. Sedenim femur parte alia iunctū tibiæ est. Sunt femora sane maxima ijs auibus, quæ ungues habent aduncos, & pectus, quā cæteris robustius. Copia omnibus auibus unguū est. Multifidae etiam omnes quodāmodo sunt, quippe cum pars maxima digitata sit, & nantes quāuis planipedes, tamen & ipsæ digitos perfectos, distinctosq; habeant. Omnibus quæ se efferunt, quaterni digiti dati sunt, terni in priore parte, singuli in posteriore maxima ex parte pro calce. Paucis quibusdā utrinq; bini, ut auiculæ, quæ lyncem uocant. Hæc paulò maior, q; fringilla est, colore uario. Habet sibi propriā digitorū, quā modo dixi, dispositionē, & linguam serpentibus similem: quippe quā in longitudinē mensura quatuor digitorū porrigat, rursusq; contrahat intra rostrū. Collū etiam circumagit in auersum, reliquo quiescente corpore, modo serpentū: unde torquilla uulgò appellata est, quancū turbo ab antiquis. Ungues ei grandes, & similes ut monedulis exeunt: uoce autē stridet. Os sibi propriū uolucres possident: nō enim labra, non dentes, sed rostrum habent. Auriculis etiam carent & naribus, meatusq; odorandi in rostro continent, audiendi in capite. Oculi omnibus, sicut cæteris animalibus bini, sine cilijs. Grauiora palpebra inferiore conuiuent. Nictantur omnes ab angulo obeunte membrana. At uero quæ speciem noctuæ gerunt, superiore etiam palpebra conuiuent. Hoc idem cortice intacta animalia quoq; faciunt, ut lacertæ, & reliqua generis eiusdem. Conuiuent enim palpebra inferiore omnia, quancū nō more auium nictant. Volucres item nō pilis, nō squama, nō cortice, sed pennis teguntur. Pennæ omnes caule constant. Cauda etiam tali, qualis data quadrupedibus est, uolucres carent: sed pennis cōditam gerunt, breuem, quæ longipedes, ac planipedes sunt: maiorem autem, quæ e contrario constant, quæ uel contractis ad uentrem pedibus uolant, cum illæ caudæ pusillæ gerulæ, porrectis in caudam cruribus ferantur. Lingua omnibus est, sed uarie: alijs enim longa, alijs breuis, alijs lata, alijs angusta. Omnium maxime anim aliū



animaliū post hominē literas proferre nonnulla auium genera queunt, uidelicet ea præcipue, quibus lingua latior est. Linguā autem illam minorem operendi ministrā, nullum ex ijs, quæ oua pariunt, superimpositā suæ arteriæ continet: sed meatum ipsum modo trahunt, modo laxant, pro sui cōmodi desiderio: atq; ita efficitur, ne quid ponderis in pulmonem delabatur. Sunt nōnulla ex auibus genera, quibus natura calcar etiam dederit: sed nulli datum hoc est, cui ungues adunci sint. Volaces porrò notantur, quæ ungues habent aduncos: calcarigeræ, quæ præ sua grauitate sint ad uolandū ineptiores. Ad hæc, auium nōnullis crista addita est: quam cum cæteræ pennarū eminentia quadam extructam gerant, gallinaceus unus peculiarē sibi sortitus est: sic enim institutā, ut nec caro sit, nec à natura carnis omnino aliena.

De genere piscium, eiusq; differentijs.

Caput XIII



Piscium genus inter ea, quæ aquas incolunt, unū distingui à cæteris iure potest, cum forma euariet numerosiore. Habet id caput, & prona, & supina. Parte qua uenter, & uiscera continent, supina habet: caudā continuā, indiuisamq; parte gerit posteriore uarie. Piscium nulli ceruix, nulli manus, aut pedes, nulli testes, nulli mammæ. Sed mamma cæteris quoq; negata est omnibus, quæ animal nequeant generare. Nec uero uiuiparis omnino data est, sed ijs tantū quæ protinus intra se animal formāt, nec primū ouū, deinde animal. Vnde fit, ut delphinus etiā mammas habeat: animal enim concipit illico, & creat. Continet hic suas mamas nō parte superiore, sed prope genitale. nec modo quadrupedū papillas cōspicuas habet, sed uelut alueolos quosdā humoris duos, utroq; de latere singularē, è quibus lac fluit, quod ore catulorū sectantiū parentē excipiat: idq; iam à nōnullis perspectū est. Pisces igitur (ut modo dixi) nec mamas habent, neq; meatū genitaliū ullum intus conspicuū. Branchias autem rem habent peculiarem, quibus humorē, quē ore acceperint, reddūt. atq; etiā pinnas, quas magna ex parte quaternas gerūt. Attamen longis, ut anguillæ, binæ iuxta branchias herēt. mugilibus etiā quos lacus Sipharū gignit, binæ: atq; etiā ei quā uittam appellāt. Nōnullis è longis nullę omnino sunt pinne, ut murenæ. nec branchię integrę, ut cæteris piscibus habent. Qui autem branchias habent, aut intectas continent eas, aut detectas, ut cartilaginea genera omnia. Qui intectas habent, ijs in obliquū utroq; latere tenent. Quæ tegumēto carent, cartilaginea dico, ijs si plana sunt, parte inferiore, supinaq; habent: ut torpedini, ut raia. sed si oblonga sunt, eorū lateribus adherent, ut in quouis mustelino genere cernit. Raia tamen si deductas in latera habet brachias, tamen nō spineo intectas operimento, ut quæ nō cartilaginea sunt, sed cuticulari. Item branchiatorū ipsorū alijs simplices branchię sunt, alijs duplices. omnibus tamen simplex, quæ nouissima corpori admota est. & alijs pauca, alijs multa: uerum in utrunq; latus æque partitæ omnibus sunt. habent quibus paucissimę sunt, singulas branchias utrinq; easq; duplices, ut aper. alijs binæ utrinq; alteræ simplices, alteræ duplices, ut congro, ut scaro. alijs quaternę utrinq; simplices, ut accipenser, dentici, murenæ, anguillæ. alijs quaternæ duplici ordine, nouissima excepta, ut turdo, perca, siluro, cyprino. Musteligenis etiā duplices, & quinę utraq; ex parte sunt. gladio à rostri mucrone ita appellato, octonę duplices. Ita branchiarū colligitur numerus. Sed præter branchiarū discrimē, pisces à cæteris animalibus differūt, eo quod nō pilis ut terrestria, quæ animal generāt, nō cortice, ut nōnullæ oua parientes quadrupes, nō penna, ut genus auium integunt: sed plurimi squamosi sunt, pauci quidam scabri, paucissimi læues. Ergo cartilagineorū alia aspera, alia læuia sunt. Congri etiā & anguillæ, & thunni, læues sunt. Dentes omnia piscium genera habent serratos, pectinatimq; coeuntes, excepto scaro: ac omnia serie dentium acuta, atq; multiplici

fulciunt. in lingua etiam dentes nonnullis. Linguam autem ipsam duram, & penè spineam habent, & ita adherent, ut interdum carere lingua uideant. Os rescissum, ut nonnullis ouiparis quadrupedibus est. partes audiendi, odorandi, denique sentiendi nullae conspicuae, praeterquam oculi habent. latent etiam meatus, quibus sentire necesse sit. Oculi omnibus sine palpebris, sed non duri. Est omne sanè piscium genus sanguinis particeps: discrimine autem partus sic discrepant, ut alij oua pariant, alij animal. Pariunt oua omnes qui squama conteguntur. Animal omnes, qui genere cartilagineo continentur, excepta rana.

*De genere serpentum.*

Caput XIII



Elíquum ex ijs, quae sanguinem habent animalibus, genus serpentum est, quod commune ambobus superioribus esse potest. Sunt enim alij terrestres, alij aquatiles: quantum maxima pars sit terrestris, exigua uero aquatilis, scilicet fluminum incola. Sunt etiam maris indigenae serpentes terrestribus similes, nisi quod caput habeant congrui. & quidem genera eorum complura sunt, colore numerosae uarietatis. nasci eos non in altissimis gurgitibus certum est. Scolopendras etiam, quas centipedes uoco, maris incolas esse nouimus, specie terrestribus similes, magnitudine paulò minores, colore rubetiores, numero pedum copiosiores, & crurum tenuitate graciliores. nasci locis saxosis solent, & modo serpentum, non magna altitudine gurgitum. Caret pedibus genus omne serpentum, ut pisces. nam remora errore nonnulli pedes habere prodiderunt, expes enim omnino est. Sed quoniam pinnas habeat pedibus similes, hinc fit ut pedibus instare uideatur. pisciculus quidam haec est, saxi assuetus, in cibos non admittendus, nomen à remorandis nauibus adeptus, utilis ad iudiciorum causas, & amatoria ueneficia, ut aliqui uolunt. Partes exteriores sanguineorum animalium quanam sint, & quot numero, & quibus inter se differentijs dissonent, explicatum iam est.

*Quae membra quodque animalium genus interiora sortiatur.*

Caput XV



Vnc interiorum ordinem persequemur, & primum in eo genere quod sanguine constat: hac enim ratione summa genera à ceteris differunt, quod haec sanguinea sunt, illa exanguia. Sanguine praedita sunt, homo & quadrupes, quae animal, ouum uel pariunt: atque etiam aues, pisces, cetæ: & si quid aliud uacans nomine, quoniam genus non sit, sed species simplex in singulis intelligat, ut serpens, ut crocodilus. Igitur quae quadrupedes uiuiparae sunt, ijs gula atque arteria omnibus est, & eodem situ, quo homini. Ouiparis etiam quadrupedibus, atque auiibus eadem illa adiuncta uidemus, sed discrimen species affert earum partium. Denique omnia quae aerem accipiunt, & reddunt, habent pulmonem, arteriam, gulam, & situm gulae atque arteriae simile, quantum eas partes dissimiles: pulmonem autem ne situ quidem simili continent. Cor item omnibus est, quibus sanguis & septum transuersum, quod praecordia, & cinctus appellatur: uerum hoc in minutis praesua tenuitate, exiguitateque, non aequè spectari potest, nisi in corde. Peculiare est, quod de nonnullis bubus proditum est: genus enim quoddam bouum suo in corde ossiculum continere aiunt. At uero pulmo non omnibus datus est: pisces enim & omnino quae branchias habent, carent pulmone. Iecur in omnibus est, in quibus sanguis. Lien magna ex parte omnibus, quibus sanguis: sed magnae partem eorum, quae non animal, sed oua pariunt, lien usque adeo exiguus est, ut propemodum sensum effugiat: quod magna in parte auium experimur: uerbi causa, in columbis, miluis, accipitribus, noctuis. Capriceps auis liene omnino caret. In quadrupedibus etiam ouiparis similis ratio est: nam ea quoque admodum exiguum habent lienem, ut testudo, mus aquatilis, rubeta, lacerta, crocodilus, rana. Fel alijs adnectitur iecori, alijs minime. Ex genere enim quadrupedum quae animal generant, ceruo, & dante

damæ deesse notatū est: atq; etiā equo, mulo, asino, uitulo marino, & muriū nōnulis. Ceruis Achainis cognomine, fel cōtineri in cauda credit. Est, qd̄ ibi cōtineri aiūt, colore quidē simile felli, sed nō ita ut fel humidū, sed lieni simile parte interiore. Vermes tamē cerui cōtinent omēs suo in capite uiuos, qui nasci solent sub lingua in cōcauo circiter uertebam, qua ceruici innectit caput, magnitudine haud minores ijs uermibus, quos maximos carnes putres ædi derint. Gigni uniuersi atq; cōtigni solent numero adeo circiter uiginti. Sed ceruus felle (ut dictum est) uacat: quanq; eius intestinū amarū adeo est, ut ne à canibus quidē attingat, nisi ceruus præpinguis sit. Elephanto etiā iecur sine felle: inciso tamē parte qua fel adhærere solet, humor fel-

10 leus effluit plus minus. Delphinus inter ea quæ mare excipiūt, pulmonēq; habent, unus felle priuatus est. Aues, piscesq; omēs fel habent: & quadrupedes quæ oua pariunt, dixerim in uniuersum, omēs aut plus aut minus fellis sortiunt. Sed pisciū, alijs in iecore positū est, ut musteligenis, & siluro, & squatina, leuiraiæ, torpedini: atq; ex longis anguillæ, acui, libellæ. Pulchro etiā, in iecore inest proportione corporis maxime omniū copiosum. Alijs intestino annexū est, dependēs à iecore, meatibus quibusdā perpetuis summę tenuitatis. Ergo hamia suo intestino pari processu obductū habet, sæpe etiā replicatū, reduxq; aliquatenus: reliquis collectum intestinis cōmissum est, aut semotius à iecore, aut propius, ut raia, accipenseri, dentici, murene, gladio. Sæpe etiā genus idem utrunq; patitur sitū, ut conger: alijs enim ad iecur, alijs in-

20 fra se positū adhæret. qd̄ etiam in auibus pari modo perspectū est: alijs enim uentri, alijs intestino iungitur, ut columbæ, coruo, coturnici, hirundini, passeri, alijs iecori simul, & uentri, ut capricipiti. alijs iecori simul, & intestino, ut accipitri, miluo.

*Quæ animalia renibus, & uesica careant.*

Caput XVI



Enes atq; uesicā omēs, quæ animal generāt, quadrupedes possidēt. At uero ex ijs, quæ oua pariunt, aues, piscesq; non habent. Quadrupedū una testudo marina habet magnitudine ad cæterarū partiū rationem. Similes bubulis renes ei omnino adhærent, quasi ex multis exiguis constituti. Bonasus etiam interiora omnia bubus similia continet, situs idem earum partium est omnibus, quæ ex ijs constant.

*Quam corporis partem in quibusq; animantibus cor, iecur, pulmo, lien, fel, & uenter obtineant.*

Caput XVII



Cor prorsus in medio pectore omnibus præterq; in homine est: huic em̄ parti potius leuæ cōmissum est, ut antè exposui. Tendit omnibus priorem in partē, suo turbinato mucrone, præterq; piscibus: ijs enim nō ita esse uideri potest, cum eorū cor suū mucronē nō ad pectus spectantē, sed ad os habeat, extremūq; inde pendens, qua branchiæ dextræ, atque sinistræ inter se cōeunt, copulanturq;. Sūt etiam meatus alij de corde ad branchias tendentes singulas pro desiderio magnitudinis: hoc est, maioribus laxiores, minoribus arctiores: inter quos crassa admodū, & candida fistula est, quæ de cordis extremo oritur. Gula paucis in piscibus inest, ut congro, anguillæ, ijsq; exigua. Et iecur qui habent, si nō fissum est, dextro latere totum continet: si fissum à principio usq; dextro maior pars applicata est. Quibusdā em̄ partes sepositæ sunt, nec eadem certa origine continent, ut inter pisces mustelino generi, & inter quadrupedes leporum generi cuidā, quod tum alibi, tum etiam in Sycino agro circiter Bolbam lacum gigni: quippe quos bina habere iecinora credideris, quoniā meatus procul admodū cōeant: quod idem uel in pulmone spectare auitū licet. Lien etiam parti sinistra adnectitur iecori aduersus, situq; ualet iusto naturæ. Quod si qua dissecta quadrupede lienē latere cōtineri dextro, iecur sinistro uisum est, prodigiose id euenisse

putandū. Tendit arteria omnibus ad pulmonē, quemadmodū post explicabimus. Gula ad uentrē perfertur, transigens septū transuersum, scilicet in ijs quæ habeant gulam: pisces enim magna ex parte gula carent, ut dictum est, ut qui annexum statim ori uentrem habeant. Quocirca sæpius euenit grandibus nonnullis, ut dum per impetū insectantur minores, uentriculus in os procidat. Habent omnia quæ adhuc enumerauī, uentrē situ consimili: septo enim transuerso, cōtinuò subest, intestinūq; de eo porrectū finit ad exitū cibi, & eam partem quæ podex dicitur. Sed uentris dissimilitudo primū, quod quadrupedes uiuiparæ, cornigeræ, altera maxilla dentatæ, quaternos eiusmodi habēt sinus: quæ quidē & ruminare dicunt. Gula em̄ incipiens ab ore deorsum tendit ad pulmonē, septūq; transuersum: hinc se ad uentrem applicat maiorē, qui parte interiore asper, interceptusq; est, ac prope gulæ cōmissurā sinum sibi adnexū habet, quē ex argumēto reticulū uocant: est enim uentri extrinsecus similis, intus reticulis mulierum implexis, magnitudine multo q̄ uenter minor. hūc excipit omasum parte interiore asperū, cancellatū, crustatū, magnitudine reticuli. Abomasum uenter ab eo alius iungit, magnitudine amplior omaso, forma oblongior, cancellis intus, & crustis multis, magnis, & leuibus innormatus: mox intestinum iam sequit. Cornigera altera maxilla dentata, omnia ad hunc modū suū habere uentrē certum est. Sed differūt inter se magnitudine, aut figura, atq; etiā quod gula, uel in mediū uentris tendat, uel in latus uergat. At uero om̄ia dentata maxilla utraq; uentres singulos habēt, ut homo, canis, sus, ursus, leo, lupus. Quinetiā thos, quē lupum ceruariū appellem, interna omnia lupi similia habet. ijs igitur omnibus simplex uentriculus est, quē excipit intestinū: uerum alijs amplior, ut sui, ut urso: & suillo quidē crustæ leues pauciores sunt. Alijs arctior, nec multo amplior intestino, ut canis, leoni, homini. Ceterorū etiam species omniū respectu eorū, quos modo enumerauī, distinguuntur. Alijs enim uenter suillo similis, alijs canino, tam in maiore q̄ in minore animalū genere. Sed discriminē in ijs quoq; magnitudine, figura, corpulētia, exilitate ue oritur: atq; etiā situ gulæ, quo meatū ad uentrē ducat, & conuio iungat foraminī. Intestinorū etiam natura utriq; illi animalū generi, hoc est, utraq; dentato, et altera maxilla dētato, sibi differt magnitudine, crassitudine, replicamētis. Sūt certe maiora om̄ia intestina nō utrinq; dentatis: nec immeritō. nam ipsa ita dentata omnia sunt auctiora: pauca enim parua eo in genere habent. Admodū paruū inter cornigera nullū est. Quibusdā etiam appēdices sunt intestinorū. Rectū autē intestinū nulli est, cui nō parte utraq; dentes. Elephanto intestinū ita est sinuosum, ut aluos habere quatuor uideat. in hoc etiā cibus recipit: nullū enim conceptaculū cibi aliud separatim adest. Extra quoq; eidē suillis proxima, sed maiora. Iecur enim quadruplo maius bubulo est: & reliqua parī ratione, excepto liene: hic enim minor ex proportione est. Hæc eadē ratio uētris, intestinorūq; uel in ouiparis quadrupedibus est, ut in testudine tum terrestri, tum etiā marina, in lacerto, crocodilo utroq; omnibus deniq; generis eiusdē. Simplicē enim unūq; habent uentrē, aut canino, aut suillo similem. Genus serpentū nulla euariat ratione: & omnia ferē proxima lacertis terrestri ouiparo genere habere spectes, si pedes ijs demas, lōgitudinē addas: quippe quod intestū cortice sit, & prona, supinaq; perinde atq; lacerti habeat, sed testibus caret. nec alio modo q̄ pisces meatus duos cōeuntes in idē, & uuluā longā, ac bifidam habet. Cætera interna eadē serpētibus sunt quæ lacertis. Verū om̄ia earū uiscera, propter longitudinē, & angustia corporis, longa, arctaq; habent, ita ut digno sci præ suę figurę dissimilitudine nō queant. Arteria nāq; longa admodū est, atq; etiā gula longior. Arterię origo ita iuxta os ipsum posita est, ut esse sub lingua uideat. & quidē uideat linguæ preminere, quoniā lingua contrahit, nec ut cæteris manet. Lingua autē ipsa tenuis, longa, & atrī coloris est, atq; si extrahas, porrigi longius potest.

Peculi

Peculiare præter cæterorū linguas serpentibus, & lacertis est, ut summa eorū lingua bifida sit: sed præcipue serpentū, quippe quæ tenuissimis quibusdā quasi capillamentis discreta uibret. Vitulo etiā marino lingua scissa est. Ventriculū serpentes, uelut intestinū laxius habent, canino similē: tum intestinū longū, tenue, & ad exitum usq; uniforme. Cor arteriæ postremæ adheret exiguū, sed longū, & renū speciem referēs: quā ob rem uideri interdū potest minus mucronē suum dirigere ad pectus. Pulmo deinde adnectit simplex, fibrosus, fistulosus, prælongus, lōgeq; à corde sepositus. Iecur item longū, & simplex. Sed lien exiguus, rotundusq; ut lacertis. Fel similiter atq; in piscibus habet: natricibus enim adnexū iecori est, cæteris intestino magna ex parte adhæret. Dentes exerti omnibus sunt. Costæ totidē, quot dies mensem integrū complent: singulis enim tricenæ. Euenire serpentibus idem, quod pullis hirundinū nōnulli aiunt: oculis enim serpentū laceratis subnasci alios referūt. caudæ etiā lacertis, atq; serpētibus amputatæ renascunt. Hæc eadem ratio intestinorū, & uētris piscium quoq; est. Venter enim ijs unus, & simplex, sed figura uaria est: nonnullis enim diuersa omnino species uentris est, ut ei quæ scarum uocant, qui & ruminare solus pisciū creditur. intestinū etiam simplex replicans se, qd in unum, continuumq; resoluatur. Peculiare piscibus, & magna ex parte auibus appendicum agnatio est. Sed auibus subter, & pauca: piscibus superne circa uentriculū exeunt. & nōnullis complures, ut gobioni, mustelo, perca, scorpioni, fidiculæ, mullo, scaro, mugili: cui parte altera plures exeunt, altera una tantū. alijs pauca, ut iecorino, glauco. auratae etiam pauca. Tum aut ipsi eiusdē speciei consortes inter se differunt. Auratarū etiā alijs plures, alijs pauciores. Sunt etiam quibus nullæ omnino sint, ut magne cartilagineorū parti: cæteris ita ut alijs pauca, alijs uel plurimæ habeant. Omnes tamen pisces ad ipsum uentrem eas appendices continent. Aues, & inter seipsas differre, & à cæteris discrepare animalibus, interiorū partium ratione, apertū est. Alijs enim ingluuius præposita uentriculo est, ut gallinaceo, palumbo, columbo, perdici. Ingluuius cutis in amplū sinuata est, qua primū cibus ingestus continet incoctus. hæc parte qua iungitur gulæ, angustior est, mox amplior, tum quæ desinit in uentriculum, arctior. Venter parti plurimæ carnosus, callosusq; est, cutis intus robusta, crustatisq; facile detrahi integra potest. Alijs ingluuius deest, sed eius uice gula pertinet latior, & potentior, uel tota, uel qua propius uentriculū adit, ut monedula, coruo, cornici. Quinetiā coturnici gula amplior infra, & capricipiti pars inferior paulò latior est, atq; etiam noctuæ. At anati, anseri, gauræ, cataraçtæ, tardæ, gula tota ampla, & lata est. Multis etiam alijs auibus gulā huiusmodi esse perspectū est. Nec desunt quibus uentriculus ipse similis sit ingluuiæ, ut tinunculo. Sunt item quibus neque gula, neq; ingluuius amplior sit, sed uentriculus longior, scilicet auiculis omnibus, qualis passer, aut hirundo est. Sunt etiam, quæuis pauca, quæ ingluuiæ, gulæq; amplitudine careant: longitudine aut admodū prolixa utantur, uidelicet quæ longa, angustaq; colla habent, ut porphyrio: quæ ferè omnes alui excrementū humidius, q; cæteræ solent, reijciunt. Coturnici præ cæteris hæc propria habent, ut & ingluuiæ, & gulam prope uentriculū amplam, & latam habeat. Distat ingluuius à parte gulæ propinqua uentriculo multū, pro magnitudinis proportionē. Tenue quoq; intestinum parti plurimæ auium est, & simplex resolui potest. Appendices autem illæ pauca in auibus sunt, ut dictum est: nec suprâ, ut in piscibus, sed infra qua desinit intestinum. habent eas non omnes, sed plurimæ, ut gallinaceus, perdix, anas, ciconia, ascalaphus, anser, olor, tarda, noctua. minoris etiam generis nonnullæ habent, sed perexiguæ, ut passer.